

DE 1795 6^a 11
IVRE LIBERORVM ILLEGITIMORVM 27
SVCCEDENDI IN SEXTANTEM BONORVM
PATERNORVM SECVNDVM SAXONIAE LE-
GES, ARTEM POLITICAM, ET VSVM
FORI SAXONICI

— . . . —
D I S S E R T A T I O

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRAESIDE

**D. CHRISTOPHORO CAROLO
STVIBEL**

IVR. SAX. PROFESS. PVBL. ET FACVLTATIS IVRIDICAE VITEBERG.
ASSESS. EXTRAORDIN. DESIGN.

DIE XVI. MAII A. R. S. **MDCCCXCV.**

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENSVRVS EST

AVCTOR

GOTTHILF ADAMVS BERNHARDVS

TRACHENAVIA - MISNICVS.

— — — — —
VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

IVRE LIBERORVM LEGITIMORVM
SVC. PLEN. IN SEXTO ANNO BONORVM
PATERNAVM LEGITIMAM SAXONIAE LL.
REG. ARTHEM BONITAM ET VSVM
TOMI SAXONICI
PATERNAVM LEGITIMAM

DUSSLETTIA
IOANNI GEORGIO FRIDERICO
ILLVSTRISSIMO ELECTORIS
SAXONIAE PALATINI
DIGNITATE ROSECRANTZIS I. DE
CHRISTOPHORO CAROLO
STYBELI

die 24. Jan. a. m. 1710.
MERITORVM AUCTORITATE
AVCTOR
GOTTHILF ADAMVS BERNHARDVS
CENSURAE DIRECTOR

JOHANNES WITTEBEGGER
LITTERARIVM SECRETARIVS



V I R O

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

IOANNI GEORGIO FRIDERICO

LIBERO BARONI DE FRIESEN

DYNASTAE ROETHAVIAE ET RAMMELBURGI etc.
SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CVBICVLIS PRIMI
ORDINIS ATQVE SVPERIORI TRIBVTIS PVBLICIS COLLIGENDIS
PRAEFECTO, NEC NON SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS
LIPSIENSIS ASSESSORI

MERITORVM ATQVE VIRTVTVM

AEQVE AC

GENERIS SPLENDORE

ORNATISSIMO.



VII

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

IOANNI GEORGIO FRIDERICO

LIBERICO BARONI DE FRIESEN

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE

REPUBLICAE AUSTRIACAE



V I R

PERILLVSTRIS ac GENEROSISSIME DOMINE,
PATRONE SVMMO PIETATIS STVDIO DEVENERANDE!

Tanta sunt ea, quibus me inde ab initio studiorum
exornasti beneficia, atque, quibus salutem meam
quouis modo curasti, merita tanta, vt nullum omnino
tempus eorum cogitatione et praedicatione mea vacare
debeat. Equidem vero, quamuis omnem, animum
meum erga TE gratissimum significandi, occasionem
cupidissime semper arripuerim, tamen hanc, qua pu-
blice omnibus me TIBI omnia debere declarere pos-
sim, opportunitatem eo ardentius exoptavi, quo luben-
tius palam profiteor, hunc diem mihi nunquam illu-
xisse, nisi TE studiorum meorum adiutorem nactus
essem munificentissimum. Sanctum mihi exinde ena-
tum

V I R
PERILLVSTRIS AC GENEROSISSIME DOMINE
tum esse officium existimaui, has musarum academia-
rum primitias TIBI offerendi, TVOque iudicio acu-
tissimo subiciendi, certissima spe excitatus, fore, vt
non ostentationis causa, sed piam, gratamque mentem
TIBI testificandi ardore id a me factum esse credas.

Caeterum nihil magis habeo in votis, quam vt
Deus O. M. TE, VIR PERILLVSTRIS, CONIVGEM
TVAM ILLVSTRISSIMAM, TOTAMQUE GENTEM
SPLENDIDISSIMAM omni bonorum, meritis ac vir-
tuti TVAE accommodatorum, genere cumulet ac
beet, atque vt TIBI persuasum habeas, me semper eo
enixurum esse, vt talis reperiar, qualem me esse cupias.

V I R
PERILLVSTRIS AC GENEROSISSIME
NOMINIS TVI SPLENDIDISSIMI

Vitebergae
die xii. Maii
MDCXCIV.

observantissimus cultor
Gotthilf Adamus Bernhardus.




§. I.

Quae differendi opporunitas.

Cum fere ab omnibus iureconsultis, qui doctrinam de successione proposuerunt, res, quam in hoc libello tractare mecum constitui, commemorata et a multis quoque uberius explicata sit, vereor, ne vel ipsum hoc meum consilium nonnullis displiceat, totaque disputatio superflua videatur. Equidem vero hoc non putaverim. In perlegendis enim omnibus hanc rem tangentibus libris tantam sententiarum varietatem, tamque diuersas virorum celeberrimorum rationes, easque maxima ex parte haud sufficientes et spurias deprehendi, ut parum abesset, quin, minime opera aliarum ante me praeslita, huiusque rei inde nata perspicuitate ab eius pertractatione auocarer, sed rei potius difficultatibus perterritus ab opere coepto desisterem, cum eius explicatio atque decisio aetati meae iuuenili haud congrua viribusque meis non satis accommodata videretur. Neque tamen animum despondi. In mentem potius reuocaui sententiam, quam ex ore vnius praeceptorum meorum saepius audire memini: nullam opinionem auctoris sui grauitate sanctam fieri atque inuiolabilem; argumenta e contrario, quae ad rem faciant, audienda et ponderanda esse, nulla ratione habita, quis et qualis illorum sit auctor. His bene perpensis, quid equidem de opinionibus celeberrimorum iureconsultorum sentiam, dicere, meumque iisdem quaecumque iudicium adiacere ausifim.

B

Non-



Nonnulli eorum, qui liberis naturalibus hereditatis paternae portionem ex praeceptis iuris Romani iisdem competentem adhuc etiam assignant *a)* ad aequitatem tanquam praecipuam rei stabiliendae adiutricem prouocant, atque in hunc fere modum philosophantur: liberos illegitimos propter coniunctionem parentalem patri esse aliis propinquiores, inde ad eius bona ius iis competere imperfectum, quod si iis ipsis adeo legibus denegetur, omnino aequitatem violari. Ingenue profiteor, me huic opinioni antea quoque summa tenacitate inhaesisse, praesertim cum liberi isti, si propter illegitimos natales a successione paterna excluderentur, partem culpa a parentibus contractae ferre viderentur; ast auctoritate praesidis pie colendi, rationibusque ab eo mihi subministratis rem accuratius considerati, tandemque eo delatus sum, ut mihi ipse persuaderem, totam illam demonstrationem, quantam demum prae se ferat probabilitatis speciem, petitioni tantum principii esse superstructam. *Aequitas enim cum sit ea virtus, qua iura externa perfecta obligationibus externis imperfectis temperantur, eaque his miscentur, non aliter sane locum habere potest, ac si imperfectae obligationes externae satis certae atque probatae sunt. Eiusmodi obligationes ex sola ratione humana repetendae sunt, quae praecipit, ut parentes liberos a se procreatos alant atque educant. b)* Viventibus igitur parentibus liberi iure gaudent alimenta ab iis exigendi, *c)* donec ipsi victum sibi parare possint. Sed, si parentes mortui sunt, priusquam ultima voluntate vel pacto aliquo huic obligationi satisfecerint, profecto cum persona, cui obligatio incumbebat, simul etiam ipsa obligatio extincta est. Quo facto aequitas illa laudata simul evanescit, nec quisquam amplius adest, contra quem ius suum persequi possint. Etenim cum argumenta partim ex compossessione bonorum defuncti, partim ex obligatione proximorum necessitudinis vinculo coniunctos maiori amore prosequendi defumta nullo titantur fundamento, *d)* necessario sequitur,

a) cfr. Koch de success. ab intest. p. 73.

b) Egregie hoc exposuit HEYDENREICH in *System der Naturrechts*, S. 157. 2.

c) vid. HOFBAYER in *Naturrecht*, §. 344.

d) cfr. HEYDENREICH l. l. p. 269-274.

tur, liberis omnino omnibus nullo modo competere ius ad intestato succedendi. Mortuis igitur parentibus obligatio, liberos educandi, plane expirat, nullumque ius perfectum aut imperfectum, eam amplius postulandi, cogitari potest. His adductis apparebit, petitionem principii committere eum, qui velit contendere, aequitatem laedi, si liberis successio ab intestato denegetur: praesumitur enim ius imperfectum, hereditatem sibi vindicandi, quod nondum est probatum atque re vera non existit. Hereditas parentum qui de ea neque ultima voluntate neque pacto disposuere, a quo eam acquiri velint, sit res nullius, et primo tantum occupanti in eam ius nascitur proximum.

Neque etiam a principe liberi bona hereditaria poscere possunt. Ex fine civitatis, quem in perficiendo humano genere eiusque cultura ponimus, haec quidem oritur obligatio, ut eiusmodi liberorum educationi prospiciat. Idcirco in legibus nostris positivis sancitum est, ut parentes decedentes certam bonorum partem liberis relinquunt, et si illi opibus sunt destituti, hi publicis alantur sumptibus. Exinde tamen non fluit, principem ius in hereditatem parentum habere, eamque inter liberos distribuere posse: quippe quae nihilominus maneat res nullius. Tantum igitur abest, ut exclusio liberorum legitimorum et illegitimorum a successione in bona parentum iniqua dici possit, ut potius praerogativa successione, cum ea ius, quod in hoc casu primo occupanti concedendum est, laedatur atque iniuria ei auferatur, iniusta vocari debeat.

Alii iurisperiti accuratius procedentes ad leges prouocant, minus recte autem eas applicant. In eorum numerum referendus est MENKEN ^{e)} qui nostro etiam tempore eodem modo, uti apud Romanos fiebat, discrimen inter liberos naturales et spurios statuendum esse contendit, nec respicit eo, quod hodie propter concubinatus prohibitionem inter eiusmodi liberos nullum plane discrimen intercedere possit. Consilium vero eius nouellis et XVIII et LXXXIX auctoritatem

B 2

tatem

^{e)} vid. diss. de successione liberorum naturalium in Nov. XVIII. et LXXXIX. fundata ad spurios non pertinente, Viteb. 1725.



tatem conciliandi vniuersalem adeo ardens fuisse videtur, vt leges illas concubinatum in Germania prohibentes, quarum expositio maximi fuisse momenti, leuiter tantum et quasi praetereundo tangeret, quoniam alias causa cecidisset. Eodem modo rem tractauit LÜDERVS MENKEN, *f*) qui quamquam de successione secundum ius nouissimum differat, ne illarum quidem legum, quae concubinatum prohibent, mentionem facit. *g*) Egregie vero falluntur CARPZOVIVS, *b*) KAESTNERVS, *i*) et PHILIPPI, *k*) qui defendendae sententiae praesidium ponunt in illo canone: *quod non expresse prohibetur, stare debet*, atque ita argumentantur: Ius Romanum in complexu suo in Germania receptum est, omnes igitur eius dispositiones nos obligant, donec in legibus patriis iis derogetur. Pergunt porro sic: secundum ius Romanum liberis naturalibus sextans bonorum paternorum competit; nostrae leges concubinatum quidem interdiciunt, successionem vero liberorum ex eo natorum silentio praetereunt, ergo illa hereditatis portio iis etiamnum denegari nequit. At vero regula illa qua sententiam suffulcire student, plures patitur exceptiones. Licet enim lex quaedam discretis verbis non sit abrogata, tamen vim suam statim amittit, si eius obiectum vel non amplius existit, vel facta mutatione formam induit aliam, quam quae in ipsa lege erat expressa, vel ipsa ratio legis cessat. Quae quidem exceptiones in hoc quoque casu obstant,

f) cfr. Systema iuris ciuilib, lib. XXXVIII. tit. 17. §. 7. 8.

g) Vehementer autem in per legendis omnium hanc rem tractantium scriptis miratus sum eorum opinionem, qui et sibi persuadere, et in scriptis suis commemorare potuerint, vtriusque MENKENII sententias ita comparatas, vt in eorum transeant parrem, qui liberis illegitimis denegent sententiam, cum tamen vtrique apertis verbis naturalibus adiudicet eundem. Causam huius erroris, nisi in eo lateat, quod libri prius sunt citati quam lecti; in eo malo querere, quod ad distinctionem inter naturales et spurios recentiori tempore sublatam non satis accurate attenderint.

b) Decis. illustr. P. II. decis. 167. §. 11 sqq.

i) in Progr. an spurius ex bonis patris sextantem petere possit, Lips. 1734.

k) in vtu pract. Instit. lib. III. ecl. 25.

stant, quominus illa regula usum habere possit, id quod in sequenti paragrapho pluribus erit demonstrandum. Commemorandi adhuc sunt STRYCKIUS ^{l)} et STRVVIVS, ^{m)} quorum opinioni etiam assentit EISENHART. ⁿ⁾ Hi liberos naturales et spurios plane non, sed vulgo quaesitos modo ab iis distingunt, sextante illis tributo, his denegato. Inter eos STRVVIVS praesertim colligit: cum liberi naturales olim exclusis spurii in sextantem hereditatis paternae successissent, hodie vero propter concubinatum prohibitum illi cum his pari essent conditione, sequi, spurios eodem modo debere succedere, uti naturales. Quanta huic argumentandi rationi insit fallacia statim in oculos incurrit. Sublato enim discrimine illo, necessario erat colligendum: naturales hodie aequae ac spurios a patris hereditate esse excludendos, cum hi minime illorum, sed illi horum conditionem nati sint. Hanc opinionem nullo pacto esse probandam iam ex iis, quae cum maxime adduxi, adparet, atque omnis verior explicatio videtur superflua. Reliqui viri docti hac re occupati, quemadmodum in foris ea agitata sit, modo exposuerunt, asserendi negandique rationibus non additis. Omnia igitur quae hac de re in lucem prodierunt scripta cum sint tam manca atque imperfecta, liceat mihi periculum facere, in vera principia inquirendi, quibus quaestio: *an liberi illegitimi in sextantem bonorum paternorum secundum leges Saxonicas, artem politicam et usum fori Saxonici succedere possint?* sit diiudicanda ac decidenda.

§. 2.

Quid leges Saxoniae praecipiant.

Antequam ad ipsam huius rei tractationem accedere possim, opus esse videtur, ut, cum liberi illegitimi varii sint generis, definiam, quosnam in proposita quaestione intelligi velim? Sunt vero liberi il-


B 3

legiti.

^{l)} in tractatu de successione ab intestato.

^{m)} in exercitationibus, exerc. 38. th. 23.

ⁿ⁾ in iure Germ. l. II. tit. 8. §. 22.



legitimi vel simpliciter tales, qui a plerisque rursus diuiduntur in naturales, spurios et vulgo quaesitos, vel peculiari nota laborantes, in quorum numerum adulterini et incestuosi referuntur. De his, quoniam nulla iis permittitur successio non esse sermonem, quisque intelliget. Demonstrandum igitur est, vtrum naturales, spurii, vel vulgo quaesiti sint indelligendi. Ast vulgo quaesitorum nomen iam docet, eos in tractatione mea exfules esse, quia, nisi de patre constet, successio in eius bona ne cogitari quidem potest. Restant igitur naturales et spurii, ad quos, cum vtrique eandem sortem, habere videantur, quaestio a me proposita pertinet, propterea quod nullum inter naturales et spurios iure nostro discrimen agnosco. Etenim spurii, Modestino iam sic finiente *o)* sunt ii, qui patrem demonstrare non possunt, vel si possunt quidem, sed cum habent, quem habere non licet; naturales autem ii, qui ex concubina sunt suscepti. Iam vero concubinatus apud Romanos, quamquam arctis limitibus circumscriptus tamen erat permissus, omnino igitur iure Romano discrimen inter naturales et spurios intercedebat; aliter autem res se habet et in toto imperio Germanico, et in specie in terris Saxonis. Nulli enim liberi sunt legitimi, nisi orti ex matrimonio eiusmodi, quod benedictione sacerdotali est confirmatum. Hinc ex notione matrimonii iam patet, concubinatum, cui deest benedictio sacerdotalis, talem esse maris cum foemina coniunctionem, quae non debeat tolerari. Sed praeterea concubinatus legibus etiam expresse est prohibitus. *p)* Itaque cum liberi ex eo nati patrem habeant eum, quem habere non licet, spurii sunt equiparandi, atque nullum inter eos intercedit discrimen. Patet ex his, me nomine illegitimorum omnes eos comprehendere, qui extra iustum matrimonium sunt nati, siue naturales, siue spurii vocentur. Hi vero, an in sextantem bonorum paternorum succedere possint, id est, quod cum maxime enucleare studeam.

Verum

o) l. 23. π. de statu hominum.

p) vid. Ord. Pol. Imp. de ao. 1530. tit. 33. de ao. 1548. tit. 25. et de ao. 1577. tit. 26. -- Sanctio prov. D. MAVRITII de ao. 1550. tit. von verdächtigen und leichtfertigen Weibspersonen.

Verum enim vero cum in successione descendentium prae-
pue iuris Romani principia sequamur,⁹⁾ atque leges nostrae concubi-
natum vetantes successione liberorum ex hac coniunctione natorum
plane reticeant, res, de qua quaeritur, solummodo secundum leges
Romanas, earumque analogiam est diiudicanda. Iam praecipit novella
constitutio LXXXIX. c. 12. §. 4: *Ἐι μὲντοι τελευτήσῃ τις, γνη-
σίας αὐτῷ παντελῶς γονῆς οὐχ ὑποουσης (παιδῶν φαρμεν, ἢ ἐγγονῶν,
ἢ τῆς ἐφεξῆς διαδοχῆς) οὐδε νομίμου γαμετῆς, εἴτα τελευτήσοι
μὴ διαδεμένος τὴν ὕσσιαν, — — εἴη δὲ αὐτῷ κατὰ τὸν οἶκον, ἕως
περὶν, ἐλευθερὰ τε γυνὴ ἐν παλλακῆς κληματι συνοῦσα, καὶ παι-
δες ἐξ αὐτῆς (τοῖς γὰρ τῶν τοῦτοις μοῖσις ταῦτα νομοθετοῦμεν, ἐνθα
παντελῶς ἀναμφισβητήτος ἐστὶν ἡ τε τῆς παλλακῆς κατὰ τὸν οἶκον
χεσις, ἢ τε τῶν παιδῶν ἕκεισε γονῆ καὶ τροφῆ) διδομένη αὐτοῖς,
καὶ ἀδιαδήτων τῶν γονεῶν τελευτῶντων, δύο τῆς πατρῴας ὕσσιος
ἔχειν ὀνυμίας, ἀμὰ τῇ μητρὶ μεριζόμενας, ὅσοι περ ἂν εἴεν οἱ παι-
δες ὡς ἐνός παιδὸς ἀναλογίαν καὶ τὴν μητέρα λαμβάνειν.* Ca-
sus igitur in hac lege ponitur, atque deciditur, qui hodie non am-
plius inuenitur. Scilicet in certam hereditatis partem succedendi ius
conceditur liberis ex coniunctione tunc temporis licita natis. At haec
coniunctio apud nos est improbata, et quae in ea fit procreatio sobo-
lis tanquam stuprum continuatum est consideranda. Qui igitur inde
oriuntur liberi a nobis naturales vocari non possunt, sed sunt in eadem,
qua Romanorum spurii, conditione, id quod paullo ante pluribus est
ostensum. Itaque si ad verba legis adductae respicias, ita concepta
sunt, ut lex ipsa nullum adhuc habere possit usum. Recurrendum
igitur est ad interpretationem logicam et analogiam, atque inquirendum,
an ratio legis conditioni liberorum hodie in concubinato nato-
rum sit accommodanda, nec ne? In hac vero disquisitione legum
de successione ab intestato latarum ratio generalis a speciali earum, quae
de naturalibus praecipunt, bene est distinguenda. De illa dissentiant
iureconsulti. Alii nempe contendunt, eam esse repetendam a coniec-
tura voluntatis, ut cuius nulla est expressa declaratio, obtineat prae-
sumta,

9) vid. SCHOTTI Instit. iur. Sax. pag. 222. §. 3.



sumta, qua bona intelligantur illum sequi, cuius ea esse voluisse defunctum, maxime erat probabile; alii vero ex proximorum agnatorum *συνδеспοτεία* eam demonstrare malunt. r) Vtram opinionem quis velit sequi, mihi perinde est, quoniam ex hac pariter, atque ex illa fluit, naturales debere succedere. Iam vero legibus Romanorum antiquis naturales a successione paterna prorsus erant exclusi vsque ad imperatoris Valentis tempora, a quo vnica tantum iisdem concedebatur. s) IVSTINIANVS autem cum hac de re singularem legem fanciret, neque rationem verbis ipsis exprimeret, specialis ratio, nisi alibi inueniri possit, ex ipsa lege est deducenda. Ast causa non suberat, quare IVSTINIANVS in constituenda hac lege rationem semel iam expressam repeteret. Etenim in nouella constitutione XVIII. c. 5, vbi fere eadem modo breuius de naturalibus disponit, statim ab initio haec habet verba: *Βλεψωμεν δε δη τι και προς μονην την Φυσιν Φιλανθρωπον πολλοι γαρ ενσχλουσιν ημας αι και ικεταιαι συχραι, και δαικρυοντες παιδες και αι μεν τι Φιλανθρωπον οριζομεν, αλλ οτι μη μετα νομου τουτο πραττομεν, ενυθριωμεν ωσε το πραγματι και νομον προθεντες, αυται μεν οχλους αποσεισομεθα, δωσομεν δε απασιν εχειν την εν του νομου βοηθειαν.* Scilicet hoc loco ostendit, se velle inquirere, quid naturalis aequitas postulet circa successiōnem liberorum naturalium, quorum numerus paulatim accrescat, quorumque precibus assiduis defatigetur, sed quia hoc legibus hucusque seruatis non consentaneum sit, pudore suffundi ipsum. Vt vero multitudo ipsum turbantium remoueatur, se velle legem constituere eum in finem, vt quisque suarum quaerimoniarum in ipsis legibus reperiat solatium. In sequentibus deinde addit: *το δε δη παρον εν καινησ υφηγησεται νυν.* Quae si omnia perpendas, apparebit, IVSTINIANVM multitudinem liberorum naturalium, eorumque precibus ad ipsum indefesse fuisse compulsum fuisse, vt noui aliquid in eorum fauorem constitueret. Huic vero etiam accedit, quod verba Nouellae LXXXIX. iam supra allata: *τοις γαρ τιουτοις μοις ταυτα νομοθετουμεν* caet. doce-

r) cfr. BYNKERSHOEK in observ. l. II. c. I.


s) adparet hoc ex ipsius Nov. LXXXIX. c. 12. initio.

doceant, rationem generalem successionis ab intestato, quamlibet affimas, a IUSTINIANO ad liberorum naturalium successionem esse adcommodatam, atque eorum succedendi ius eidem subniti. Quodsi igitur ea, quae Nov. XVIII. et LXXXIX. continentur, comparemus, ratio legis de successione in sextantem a IUSTINIANO promulgatae facili negotio erit invenienda. Scilicet concubinatus tunc temporis erat licitus, eiusque usus frequens, liberi vero in eo nati, quorum numerus paulatim accrescebat, a successione in bona patris exclusi, id quod IUSTINIANO durum videbatur: inde commotus precibus assiduus legem sanciebat, in qua portionem hereditatis paternae concederet liberis iis, quorum mater semper sola unius viri fuerat concubina, quorumque *γονη και τροφη* in domo paterna indubitata, eoque praesumpta patris voluntas aderat, istos liberos suae familiae esse adnumerandos: Atque in hac praesumptione rationem specialem successionis naturalium quaerendam et reperiendam existimo.

Longe aliter comparata erat conditio spuriorum. ¹⁾ Etenim hi quippe ex illicito coitu procreati patris familiae non adnumerabantur, atque ita ex eius hereditate nihil omnino accipiebant. Praeter alias leges laudasse sufficit *Auth. ex complexu, Cod. de incestis nuptiis*, in qua omnes liberi illegitimi, naturalibus nominatim exceptis, a patris hereditate prorsus remouentur.

Duae igitur de successione illegitimos praecipientes leges ante oculos sunt positae, iure succedendi illa aliis concesso, hac aliis denegato. Remotam concedendi rationem aptissime quaeras in eo, quod coniunctio, ex qua naturales nascebantur, esset licita, in eo vero, quod iidem familiae patris adscriberentur, proximam. Iam vero concubinatus cum certis legibus apud nos sit prohibitus, eoque ipso liberi in tali coniunctione geniti familiae patris nullo pacto adnumerandi, necessario sequitur, legem illam inter Romanos de successione naturalium latam nequaquam rationi naturalium nostrorum, si quos habeamus, esse adcommoandam. *Causam si quaeris, vna est, quia ob-*
iectum

¹⁾ vid. Koen de success. ab intest. §. 22.



iectum legis non quidem totum evanuit, attamen quoad suam formam ita mutatum, ut lex ipsa non amplius usum habere possit: altera autem, quia legis ratio inter nos cessat. Hoc eo certius apparebit, si paucis tantum praecipuas in analogiae usu observandas regulas consideraverimus. ^{u)} Nimirum primum cavendum est, ne earum praefinarum, ad quas aequalia iura applicare velis, obtineat diversitas. Iam liberorum naturalium hucusque descriptam conditionem consideres; et procul dubio reperies, eorum sortem non eam esse, ut, quae Romanorum iure iis concessa sunt, nos iisdem eadem etiam largiri possimus. Deinde vero etiam ratio et causa legis, de cuius applicatione cum maxime quaeritur, naturae rei ex analogia decidendae respondere debet. Ast, quoniam naturalium liberorum, quales hodie nascuntur, conditio longe alia est, ac ratio legis Romanae eam praeposit, ideoque haec regula nullam ad nostram rem habere potest vim. Naturales igitur ex analogia etiam profus a patris hereditate sunt remouendi. Ea de causa videamus an forte Romanorum leges de spuriiis promulgatae possint applicari. His praecipientibus eiusmodi liberis, quippe ex damnato coitu ortis, nec patris familiae adnumerandis, minima adeo hereditatis paternae pars recusat. Omnis alii adduxisse sufficiat Nov. LXXXIX. c. 15. et *Auth. ex complexu Cod. de incestis et inur. nuptiis*. Scilicet in his legibus omnes ex damnato coitu suscepti paterna hereditate indigni censentur. Damnatus vero coitus cum sit ille, in quo delictum continetur, ^{v)} atque stuprum cuiuslibet generis in numerum delictorum referatur; spurii omnino, qui ex stupro sunt nati, ad liberos eos, qui ex damnato coitu nascuntur, pertinent. ^{w)} Iam si hanc, qua Romanorum spurii erant, conditionem

^{u)} cfr. *Glücks Erläuterung der Pandekten*, Th. 1. §. 37.

^{v)} vid. HELLFELDI *Iurisprudentia forensis*, tom. II. §. 1647. not. *.

^{w)} Spuriorum nomen, quemadmodum in antecedentibus, sic etiam hoc in hoc sensu generaliori sumi, (id quod etiam fecit MANKEN in *Systemate iur. civ. l. XXXVIII. tit. 17. §. 8.* et RICHTEAVS in *tract. de success. ab intest. sect. I. membr. 3. n. 5.*) ita, ut omnes eos comprehenderem, qui neque incestuosi, neque adulterini, neque vulgo quaesiti appellari possunt, quique sunt varii generis. Plura eaque vilissima

nein cum ea, qua naturales inter nos versantur, comparemus, nulla in re hanc ab illa diuersam reperimus; ex quo fit, vt hae tantum leges, quae de spuriiis praecipunt, in decidenda successione eorum, qui ex concubinato oriuntur, vsum praestare possint.

Quae cum ita sint iure Saxonico, quatenus in doctrina de successione ex iure Romano sit explicandum, liberi naturales, quales hodie nascuntur, totius hereditatis paternae expertes sunt: etenim leges spuriorum iura desinientes ex interpretatione extensiu naturalium noffrorum conditioni sunt adcommoandae, atque secundum analogiam inde enatam naturales aequae ac spurii sextante bonorum paternorum prorsus deslituuntur.

§. 3.

Quid in vniuersum suadeat ars politica.

Vidimus haecenus, quanam sit fors liberorum illegitimorum si ex legum natura solummodo rem consideremus; at enim vero, longe aliter res se habebit, si nulla legum ratione habita politice modo spectemus, atque principiis ex hac scientia ductis ad ea, quae hac in dissertatiuncula tractantur, recte diiudicanda vtamur. Ars politica (*Politik, Staatsklugheitslehre*) est scientia illa legislatori maxime necessaria, vi cuius hic optimas finis in ciuitate communis consequendi vias ingredi potest. *) Quae cum ad rem nostram maximi sit momenti, eius vberiori expositioni paullo diutius immorabimur. Est quidem altera norma, qua omnes leges ciuiles aestimandae sunt. Ius naturae docet, quanam leges iustae sint; arte vero politica cognoscimus, vtrum iustae leges ad fines consequendos quoque aptae inueniantur, quibusque auxiliis ad eosdem peruenire possimus. Spectat igitur haec

C 2

ars

hissima hac de re differuit, atque rectam huius denominationis originem enucleare studuit VALENT. FORSTERVS de successione ab intestato, l. IV. c. 46. §. 1.

*) cfr. *Schaumanns wissenschaftliches Naturrecht*, §. 573.




ars ad omnes omnino legum formas, atque diuiditur in politice legum criminalium, legum politicae (*Politik der Polizeygesetzze*) et legum priuatarum, quae vulgo ciuiles vocantur. Viae, quas huius artis periti inire solent, quibusque finem ciuitatis persequuntur, multiplicis sunt generis, veluti vis, poenae, praemia, aliaque plura. Inter illa vero auxilia maxime culturam omnium ciuium in ciuitate degentium quacun- que ratione promouendam, atque amplificandam referri debere, y) recentioribus temporibus potissimum intelleximus. Hac enim non solum praecipua rerumpublicarum perfectio continetur, sed prima quoque securitatis publicae stabiliendae est via, ita, vt ea neglecta vis maxima, poenaeque grauissimae ei procurandae minime sufficiant; contra, quo magis ciuium vires et corporis et animi omni ratione excoluntur, eo certius ciuium virtute totius ciuitatis salus augetur, corroboratur. z) Haec autem ciuium cultura perquam necessaria inprimis bona finique ciuitatis conueniente liberorum educatione efficitur, quam magistratus per instituta, quibus ciuium liberis cuiuscunque ordinis ingenii corporisque vires exercendi, multaque vtilia discendi datur occasio, atque per leges in vulgus editas, quibus parentes illis institutis vti iubentur, optime curare et promouere potest. Ac si fiat, vt parentes, vel morte praematura abrepti, vel tenui re familiari constituti, vel alia ratione impediti, curam liberorum ipsi gerere non possint, ea in summum magistratum reuoluitur, et tunc in institutis, quibus feminae arte obstetricia erudiuntur, in orphanotropheis et brephotropheis administrari solet. a) Deinde vero etiam opus est, vt

y) cfr. HOHENTHAL de Politia, in proleg. §. 4.

z) Quotuplex ea cultura sit, et quibus partibus constet, pluribus exposuit PRAESES pie colendus, in *seinem System des peinlichen Rechts*, Bd. I. §. 22-24. -- Eiusque necessitatem demonstrouit ERHARD in der *Abhandlung: Versuch über das Ansehen der Gesetze, und die Mittel, ihnen solches zu verschaffen*, Leipzig 1791.

a) Hac de re adeundi sunt HOHENTHAL l. I. §. 151q. et Rössig's *Labrbuch der Polizeywissenschaft*, pag. 144 14q.

princeps, viuentibus adhuc parentibus, neque ab officio suo erga liberos alia ratione impeditis, ad eorum tamen educandi rationem bene attendat, atque vt liberi alimenta necessaria accipiant, et, si parentibus humani quid acciderit, sufficientem hereditatis partem consequantur, diligentissime curet, idque propterea, vt liberis detur facultas, partim se ipsos, quantum fieri possit, excolendi, partim institutis, quae in ciuitate florent, recte vtendi. Magnis igitur laudibus sunt extollendae leges illae, quae liberos, nisi singularis id causa exigat, exheredari prohibent. Iam ad rem nostram propius accedamus, quam si ex hac parte consideremus leges, quibus liberi illegitimi hereditate indigni censentur, principis politices plane aduersantur. Eiusmodi liberi hanc ob causam plerumque summa inopia laborant, atque eorum cultura tam moralis, quam ciuilibus negligitur. Cultura morali nisi fruantur, rationes mouentes, quibus legibus ciuilibus obsequium praestare atque praecipue ciuium bonorum officia obseruare impellantur, ipsi ignorant. Ciuilibus si in ipsis negligatur, duplex inde ciuitas fert damnum. Etenim cum in bene constituta ciuitate non solum eo videndum sit, vt ciues sanitate et robore corporis excellent, sed etiam, vt opificia, artes, easque potissimum scientias ediscant, quibus ciuitas carere nequit; statim in oculos incurrit, in liberis illegitimis desiderari vtrumque. Huic accedit, quod eiusmodi liberi plerumque alacris ingenii dotibus instructi sint, quae diligentius excoltae magnos ciuitati fructus, neglectae autem damna haud exigua sunt allaturae. Hac igitur cultura tam morali, quam ciuili in liberis illegitimis intermissa non solum hoc efficitur, vt multis ciuitas careat commodis, quae eorum ingenia plerumque egregia sperare sinunt, sed etiam eandem ob causam ciuitati haud exigua pericula imminent. Sola enim paupertas plurima parit delicta: iam vero, si homines, qui omni morum formatione omnibusque rationibus, quibus ad obseruandas leges commoueantur, desituti sunt, paupertate vrgeantur, necesse est, vt multo facilius ad pessima quaeque perpetranda accedant, atque ad committenda delicta quaelibet semper sint paratissimi. Puellae, quibus deficiente dote nubendi etiam occasio deficit, eo facilius



voluptatum illecebris corrumpi possunt, post corpore questum faciunt, et denique abiectissimae et perniciosissimae homines euadunt. Periculum ab eiusmodi hominibus vtriusque sexus ciuitati imminens eo magis est timendum, quo pluribus plerumque praediti sunt ingenii dotibus. Ii homines, in quibus cum perueritate moram animi stupiditas est coniuncta, ciuitati parum nocent, etenim quomodo res apte sit tractanda nesciunt, et plerumque in primo delicto deprehenduntur; at longe aliam agendi rationem in iis attendimus, qui in perpetrando delictis calliditate et astutia vtuntur. Sed, cum hac in re experientia optima sit magistra, horum agendi rationem pluribus describere, et longum foret, et superuacaneum.

Haec autem politices principia aperte docent, liberos extra matrimonium procreatos aequae ac eos, qui in legitimo coniugio sunt nati, patri debere succedere, atque propterea de sextante iisdem tribuendo nullum amplius extare dubium. Quid? quod, si omnes genitores essent obstricti, liberis illegitimis aequalem cum legitimis relinquare hereditatis partem, non sine ratione potest colligi, eos concubitum extra matrimonium cautius euitaturos, ac, si forte nihilominus hac in re peccauerint, maiorem liberorum curam esse habituros, ne hereditatis portio male sit collocata. Ius igitur quod hac de re scriptum extat, variis omnino vitiis laborat. Successio enim ab intestato, quam nemo iure perfecto aut imperfecto exigere potest, solummodo ita est constituenda, vt finis ciuitatis quam maxime promoveatur: itaque in legibus, quae ordinem ab intestato succedendi sistunt, politices modo praecepta sunt sequenda. Quantopere vero haec, si iuris Romani dispositionibus locum dare velimus, laedantur, id iis, quae cum maxime hac de re disserui, satis luculenterque est demonstratum.

Quid usu fori Saxonici approbetur.

Iam eo deueniendum est, vt pauca etiam de usu fori annectamus. Quemadmodum autem inter eruditos de rebus dubiis magnus plerumque obtinet dissensus, sic etiam hac in re integra Ictorum collegia, quae de iure respondent, inter se discrepant, ita tamen, vt, quamvis tempore quouis dissenserint, pars tamen eorum, qui sententiam principiis politices magis conuenientem fouent, praeualeat. Iam primum, cum praecepta iuris Rom. eiusque analogia ex rationibus politices, quas in fine prioris peragraphi adduxi, maxime sint manca et imperfecta, usus fori ea, quae ratione iuris scripti nobis defunt, explet. Fac. Iurid. Lipsf. quidem naturalibus olim sextantem concessit, rationibus vero spuris vsa est: *b)* postea vero sententiam mutauit, et iuris Rom. de liberis illegitimis dispositionem in edicendo secuta est, nec vsque ad hunc diem ab ea recessit. *c)* Senatus autem prouocationum, qui olim iure Rom. praecipiente liberis illegitimis sextantem pariter denegabat, inde ex pluribus annis hanc sententiam dereliquit, atque sextantem liberis illegitimis adiudicauit. *d)* Pari modo Fac. Iurid. Viteb. quamuis vsque ad nouissima fere tempora liberis illegitimis succedendi ius aequae non adiudicaret, *e)* tamen sententiam in senatu prouocationum obtinentem, quippe quae sola ciuitatis saluti prodest, tanquam normam in decidendis eiusmodi causis recepit, atque ita Fac. Iur. Viteb. a. 1792 pronunciaffe, ex ipsorum huius Fac. Assessorum

b) vid. CARZOVII decis. illustr. pag. 363.

c) teste WINKLERO in edit. nouiss. Oec. Berg. I. II. tit. IV. th. 37. n. 7. sub signo *, et HOMMELIO in rhaps. obs. 89.

d) Reperitis vicibus id factum esse testatur KIND in quaest. for. c. 20.

e) vid. WIESANDII opuscula, pag. 263.



ore compertum habeo. In Saxonia igitur, si collegia Lipsiensia exceperis, praecepta iuris Rom. in hac re non amplius obseruantur, sed liberis illis ex principiis politices pars hereditatis paternae conceditur. Ratio et causa, cur in plerisque foris, praecipue Saxonice, ita pronuncietur, duntaxat ex principiis politices est repetenda. Misericordia vel fauor erga liberos illos instar rationis legalis non esse possunt. Etenim in legibus ferendis solummodo ea sunt obseruanda, quae ius et ars politica, quatenus iuri non obstat, exigit, omnes igitur animi affectus in quacunque lege constituenda sunt remouendi. Hinc cum WINKLERO *f*) errare videntur omnes, qui misericordiam atque fauorem opinantur esse rationem, ob quam liberis illegitimis hereditatis paternae portio in foris concedatur.

Iam vero, cum in liberorum cultura secundum principia politices promouenda vnica ponenda sit causa et ratio vsus nostri forensis, atque haec ipsa ratio conditioni non solum liberorum illegitimorum eorum, quales statim ab initio *Sphi* 2di descripsi, verum etiam illorum, quos plerumque adulterinos et incestuosos appellant, possit adcommo- dari; omnibus omnino liberis illegitimis ex analogia huius vsus forensis illa etiam hereditatis pars est assignanda.

Caeterum optandum est, vt liberis illegitimis non solum sextans tribuatur, sed ex praeceptis politices etiam aequalia successione iura ipsis cum legitimis concedantur: atque vt, omni inter liberos legitimos et illegitimos discrimine sublato, famosa illa iure etiam nostro illegitimis inhaerens macula tandem aliquando abstergatur et deleatur.

f) vid. eius edit. nouiss. *Oec. Berg.* 1. supra c.




AVCTORI ORNATISSIMO

S. P. D.


P R A E S E S.

Quos iuvenes via virtutis incedere, viresque suas bene collocare, et sic tum ad veram eorum ipsorum, tum patriae felicitatem crescere atque efflorescere video, erga eos amore flagro singulari, virosque multorum meritorum futuros acque venerari non dubito. Gestit inprimis animus meus eiusmodi adolescentum academicos legere libellos, quos mihi diiudicandos tradunt, atque hos primos studiorum conspiciere fructus, vehementer laetor. Quam voluptatem redintegratam sensi cum TV, VIR AMICISSIME, TVAM quoque scriptiunculam mihi offerres, eamque ego perlustrarem. Etenim TE semper in iis etiam numeravi, quos tantopere aestimo. Ex quo quidem tempore cognitio TVI mihi data est, praecclaras ingenii dotes, industriam haud vulgarem, eosque mores in TE animadverti, qui iuvenem probum et honestum decent ac ornant. Nec haec meam virtutum TVARVM
spem



spem destituit euentus, imo. vero hoc primo TVI ingenii foetu confirmata est. Edidisti profecto specimen eruditionis perspicuum atque egregium. Nam quae proponis, minime ex aliorum iureconsultorum scriptis diligenter corrafasti, sed ex primis iisque genuinis fontibus hausisti, legesque tum positinas ciuiles, quam politicas ad usum rei explicandae accurate et recte vocasti. Nonnulla quidem addere, aliaque uberius exponere potuerim, sed nolui, ut omnia TVA sint et maneant, neque alii dicitent, TE alieno vitulo arasse litus. Quare TVVM, minime vero meum, TIBI reddo libellum. Quem TE eadem dexteritate tempore praefixo contra dissentientium dubia defensurum, qua eum conscripsisti, certo spero et confido. Gratulor igitur TIBI hunc diem solemnem ex intima animi mei sententia. Caeterum vero faxit Deus, ut hac via tuta et laudabili per totam TVAM vitam insistas, qua literarum cursum incepisti, quaque tam feliciter vsque ad hunc diem progressus es. Quod si TIBI contigerit, credas mihi adfirmanti cupio, TE ad finem propositum certissime esse peruenturum. Vale.

Scripti in Academia Vitebergenfi die XI. Maii MDCCCXV.



ULB Halle

001 558 609

3



TA-202







DE 1745 8^a 11
IVRE LIBERORVM ILLEGITIMORVM 27
SVCCEDENDI IN SEXTANTEM BONORVM
PATERNORVM SECVNDVM SAXONIAE LE-
GES, ARTEM POLITICAM, ET VSVM
FORI SAXONICI

— . . . —
D I S S E R T A T I O

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE
D. CHRISTOPHORO CAROLO
STVIBEL

IVR. SAX. PROFESS. PVBL. ET FACVLTATIS IVRIDICAE VITEBERG.
ASSESS. EXTRAORDIN. DESIGN.

DIE XVI. MAII A. R. S. *MDCCXCV.*

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENSVRVS EST

AVCTOR

GOTTHILF ADAMVS BERNHARDVS
TRACHENAVIA - MISNICVS.

— — — — —
VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

